

enim hæc hæresis Calvinii, et aliorum hujus temporis hæreticorum, qui libenter arripiunt, prout sonat, verbum illud Augustini: *Præceptum libere facit, qui libens facit*. Et in eundem scopulum videntur impingere qui dicunt voluntatem non consentire, nisi prædeterminatam per vim solius gratiæ per se efficacis prævenientis illam; quia voluntati solum relinquunt ut libenter feratur in illud ad quod determinata est, ac proinde libere a coactione, non vero cum indifferentia potestatis ad agendum et non agendum, et consequenter nec libere a vera necessitate agendi. Hoc autem, quantum in se sit falsum et erroneum, satis a Concilio Tridentino, in sessione sexta, declaratum est; et inter Catholicos est adeo certum, ut nullus audeat consequens illud admittere, etiamsi impossibile videatur, positus quibusdam principiis quæ ipsi admittunt, illationem negare. De Augustino vero certissimum est docuisse, non obstante gratia quæ in nobis operatur ipsum velle, voluntatem nostram non solum voluntarie, sed etiam cum propria indifferentia velle et operari. Quod maxime constat ex toto illo libro de Gratia et liber. arbitr.: *Nam cui dicitur* (inquit in c. 3): *Noli vinci a malo, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur; velle enim et nolle propria voluntatis est*. Ubi evidenter ponit libertatem arbitrii in potestate indifferente ad volendum et nolendum, quam potestatem dicit esse in homine a Deo sufficienter excitato et admonito ad vincendum in bono malum, atque adeo habente jam a Deo potestatem ad illam victoriam comparandam; nam si non esset in eo statu constitutus, profecto non posset merito liberum ejus arbitrium conveniri. Idem ostendit optime ipsemet Augustinus, eod. lib. de Grat. et liber. arb., c. 15, ubi confert loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur facere ut velimus et faciamus, et convertere nos, et dare quod jubet, cum illis in quibus monemur ut convertamur, obediamus et faciamus, et ut nolimus obdurare corda nostra; quia nimirum velle et nolle semper manet in nostra potestate, non obstante quacumque præventionem Dei; quod necessarium est ad libertatem: *Semper autem est in nobis voluntas libera* (ait Augustinus), ubi ponderandus est ille terminus *semper*, nam positum sine dubio est ad explicandum, quod etiam voluntas præventa seu præparata a Deo libera est illa libertate indifferentiæ, de qua locutus fuerat, et fere in toto illo libro loquitur, ponendo illam in potestate volendi et nolendi.

Et consonat optime quod dicit in citato loco lib. Retractat., cap. 22, ubi recognoscens hæc verba sua ex l. contra Adimantum Manichæum, c. 26: *Nisi quisque voluntatem suam mutaverit, bonum operari non potest quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum*, addit Augustinus: *Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus*. Prior autem ejus sententia evidenter fuerat de libertate indifferentiæ cum potestate ad opposita, quam etiam verba Christi clare supponunt. Nunquam ergo intellexit Augustinus talem esse gratiam necessariam ad bene operandum, quæ hanc tollat libertatem indifferentiæ, sed quæ illam adjuvet; unde subjungit: *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino, eo ergo modo dat potestatem*. Præparatio ergo prævenientis gratiæ dat potestatem bene operandi, non tamen aufert potestatem resistendi, vel male operandi. Item præparatio illa proxime, et ut talis est, dat potestatem bonæ voluntatis; ipsam autem bonam voluntatem, nec sola ipsa facit, nec formaliter ut præparans est, sed cum transit in adjuvantem cooperando voluntati. Relinquit ergo illa præparatio suam indifferentiam voluntati. Imo illam complet, quatenus potestatem bene volendi confert, unde de voluntate in eo jam statu constituta approbat statim Augustinus quod in eod. lib. contra Adimant., cap. 27, dixerat: *In nostra potestate est ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi severitate moveamur; quia in potestate nostra non est nisi quod nostram sequitur voluntatem, quæ cum fortis et potens præparatur a Domino* (id est cum per ipsam præparationem fortis et potens efficitur), *facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit*. Ubi non dicit necessario fieri, sed *facile*, quia ipsa gratia præparans dat potestatem et suavitatem in operando, non necessitatem.

Quando ergo Augustinus, in alio loco de Gratia Christi, dicit: *Præceptum libere facit, qui libens facit*, non ita id intelligit ut satis sit voluntarie facere ad libere operandum; nam hoc modo beatus libens amat Deum, et non libere amat; et Deus seipsum libentissime amat, et Pater et Filius libenter producent

Spiritum Sanctum, et tamen nec Deus seipsum libere amat, nec Pater et Filius libere producent Spiritum Sanctum. Videtur ergo ibi Augustinus loqui de voluntate, quæ non solum cum indifferentia, sed etiam cum peculiari suavitate et delectatione amoris fit, et de homine sic volente ait libentem operari, ac proinde liberum etiam operari cum majori quadam excellentia et perfectione, quæ includat etiam libertatem a servitute timoris; hanc enim libertatis perfectionem sæpissime in hac materia Augustinus gratiæ tribuit. Et hunc esse sensum illius loci constat ex verbis proxime præcedentibus: *Ex lege* (inquit) *justitia, quæ fit propter legis mandatum; justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum; sicut oratur in psalmo: Suavis es Domine, et in tua suavitate doce me justitiam tuam, id est, ut non formidine pænæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege*; et tunc subjungit: *Præceptum quippe libere facit, qui libens facit*; loquitur ergo de libertate perfecta quæ amoris est, et necessitatem timoris excludit. Quod autem supponat libertatem indifferentiæ, vel ex eo est evidens quod loquitur de faciente præceptum; beatus enim amans Deum, licet possit dici libenter amare, non tamen potest dici libenter implere præceptum amoris; quia nec est capax præcepti alicujus actus, quia ex necessitate illum facit, neque obedientia locum habet ubi non est potestas libera. Igitur omnis qui facit præceptum, libere facit, sed tunc perfecte libere, quando libens ex amore facit; et hic est sensus Augustini.

Tertius ergo error, in illis argumentis Augustino attributus, est, Deum esse auctorem operis mali, et ad ejus omnipotentiam pertinere determinare voluntatem ad opus malum sicut ad bonum, et hoc modo agere Deum in cordibus hominum quidquid ipsi volunt. Sed de hac doctrina, qualis in se sit, dixi in superioribus, et latius in secundo libro de Auxiliis, ubi etiam ostendi quam fuerit Augustinus alienus ab illa. Quod etiam ex dictis in hoc capite, et notatis in eodem libro de Gratia Christi, et ex 2 lib. de Peccat. merit. et remiss. manifestum est. Denique, quamvis non negem inveniri apud Augustinum circa hoc punctum duriores quasdam locutiones, earum tamen verum sensum in eisdem locis aperiri. Et ideo circa hoc amplius in præsentem immorari necesse non est. Nam quod Augustinus ait, ad omnipotentiam

Dei pertinere, quo voluerit, quando voluerit, et ubi voluerit, creatam vertere voluntatem, hoc potest facere, vel necessitando illam, quod faciet physice prædeterminando; nec enim alius modus talis necessitatis intelligi potest; vel potest etiam id facere conservando libertatem ejus, sed tunc id faciet secundum infinitam sapientiam suam, applicando auxilia et occasiones quibus præscit infallibiliter implendam voluntatem suam. Sicut autem omnipotentia non separatur a sapientia in sua voluntate exequenda, ita voluntas non separatur a bonitate in usu potestatis suæ, et ideo nunquam directe vult creatam voluntatem ad malum determinare vel inclinare; imo neque occasiones male operandi ex hac intentione offert; sed quia ex certa præscientia hæc interdum permittit, ideo per quamdam exaggerationem dicitur interdum Deus hæc operari, sicut dicitur corda hominum indurare, utique permittendo. Nam, licet interdum Deus aliquid positive operetur, quod præscit inclinaturam voluntatem hominis ad malum, non tamen id facit intendendo talem inclinationem, nec volendo ut homo illam sequatur, ac proinde nec determinando voluntatem hominis ad illam sequendam, sed permittendo solum, non obstante præscientia. Quod frequentissime declarat idem Augustinus, et signatim in eodem libro de Gratia et liber. arbitr., cap. 23: *In eo, ait, quem seduci permittit vel indurari, mala ejus merita credite*. Atque ita semper in malis operibus ultimam resolutionem facit ad hominis arbitrium, non ad Dei voluntatem. Igitur ex his libris Augustini et confutatione erroris Pelagii nullum habemus vestigium gratiæ prædeterminantis, sed multa potius quæ demonstrant illam positionem non esse consentaneam doctrinæ Augustini.

CAPUT XXXIV.

DE ARGUMENTO SUMPTO EX ERRORE SEMIPELAGIANORUM, ET EX LIBRIS AUGUSTINI DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, ET DE DONO PERSEVERANTIÆ, CUM EPISTOLIS PROSPERI ET HILARII.

Multa de hoc argumento dicta sunt a nobis in superioribus, ubi plane ostendimus quam longe nostra sententia a Semipelagianorum errore distet; ut tamen mentem Augustini in ejusdem erroris confutatione diligentius inquiramus, et nonnullas peculiare ejus locutiones, hac occasione scriptas, quæ nunc huic

sententiæ, nunc vero alteri favere videntur, attentius ponderemus et inter se conferamus, pauca de hoc argumento iterum dicere necessarium censuimus. Supponimus autem præcipuum errorem Semipelagianorum fuisse, quod initium salutis libero arbitrio per se et sine gratia operanti tribuebant, maxime quoad initium fidei, et quoad aliquod bonum desiderium salutis. Addebantque perseverantiam non donari sine nostris meritis, ut constat ex dictis Patribus in citatis locis. Sed de hoc posteriori puncto dicemus in sequenti capite. De priori vero satis est a nobis in superioribus dictum; neque hic aliquid occurrit addendum. Quia revera controversia illa de initio salutis nullam connexionem habet cum præseni controversia, quæ est de modo liberæ cooperationis aut consecutionis salutis, quæ suum jam initium supponit. In quo initio, juxta Catholicam doctrinam, liberum arbitrium non tantum non operatur solum, verum etiam neque adjutum, neque omnino cooperatur, quatenus liberum arbitrium est, ut in superioribus satis est declaratum.

Unde, ex toto libro de Prædestinatione Sanctorum, in quo errorem hunc circa initium salutis et fidei præcipue Augustinus confutavit, nullum argumentum efficax pro alterutra parte sumi potest. Quanquam enim ex illo libro manifeste constare possit, juxta mentem Augustini, dari aliquam gratiam prævenientem, quæ sit efficax prout a Deo confertur, qualis autem sit illa efficacia non satis aperte ab Augustino declaratur; indicat vero satis positam esse in vocatione congrua; de prædeterminatione vero physica nihil inquit. Probo singula, nam imprimis, in capite 2: *Ipse* (inquit) *gentium fidem facit, qui potest facere quod promisit. Porro, si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus, numquid metuendum est ne totum facere non possit, et ideo homo primas ejus sibi vendicet partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur?* Quia ergo hic dicit Augustinus Deum facere fidem nostram, eamque in cordibus nostris operari, inferunt statim alterius opinionis auctores, Deum determinare voluntates nostras ad amplectendam fidem; non tamen recte inferunt, quia facere et operari in cordibus verba sunt ex se magis ampla et generalia, et ab eodem Augustino in aliis locis explicantur de operatione Dei per vocationem et excitationem internam; imo ex his eisdem id intelligi potest, quatenus ait, *Deum miro modo agere in cordibus nostris, ut*

credamus. Si enim id ageret per physicam nostræ voluntatis determinationem, non esset mirabilior modus quo agit ut velimus credere, quam sit ille quo agit ut velit homo uxorem ducere, vel etiam ad non suam accedere, juxta eorum opinionem. Unde neque oportet mirum illum modum fieri per internam doctrinam, ut superiori capite ex Augustino vidimus, sed sufficeret simplex propositio fidei per externam prædicationem, accedente statim physica illa motione prædeterminante, et quasi cogente voluntatem ad sic operandum. At non ita rem hanc explicat Augustinus, sed semper ait Deum facere in nobis fidem, interius docendo, ita ut homo discat, atque interius suadendo, vocando, præparando, et inclinando hominis voluntatem, ut tandem persuadeatur, et veniat, seu consentiat, ut manifeste constat ex toto capite septimo et octavo ejusdem libri; et capite 16 ait, vocationem ex proposito talem esse ut per eam fiat quis credens aut pœnitens, etc.: *Nam prævenit* (inquit) *eum misericordia Dei, quia sic vocatus est ut credat.* Quod capite 20 iterum late repetit, ubi de illa Purpuraria, de qua Actor. 16 dicitur, quod Deus aperuerat sensum ejus, ut intenderet in ea quæ a Paulo dicebantur, inquit Augustinus: *Sic enim vocabatur ut crederet;* non ergo trahebatur per physicam prædeterminationem, sed interius aperiendo sensum et inclinando affectum. Unde concludit ibidem ac defendit, hoc mirabili et ineffabili modo operari Deum in nobis etiam velle.

Nec vero est quod quemquam moveat, quod Augustinus in citatis verbis, capite secundo, ait, metuendum non esse ne totum facere possit Deus, ac si clarius diceret solum Deum facere in nobis fidem. Aliud enim est facere solum, aliud vero facere totum; dicitur enim Deus facere totum, quia nihil est in nostra fide, quod non fiat ab ipso Deo, quamvis nec sine nobis fiat ipsa fides, nec voluntas credendi. Quod optime declaravit statim capite tertio idem Augustinus, dicens: *Utrumque nostrum est* (scilicet credere et operari) *propter arbitrium voluntatis, et utrumque datum est propter spiritum fidei et charitatis.* Qua phrasi significare solet Augustinus divinas inspirationes ad concipiendam fidem vel charitatem accommodatas. Illam ergo locutionem, ut detur totum Deo, introduxit Augustinus, tam hic quam aliis multis in locis, ad occurrendum Semipelagianis, qui aliquid subtrahebant adjutorio et motioni divinæ gratiæ,

scilicet initium fidei et bonæ voluntatis. Quin potius addit contra ipsos, aliquid esse in nostra fide et in nostris bonis operibus, quod soli Deo tribuendum est, nimirum ipsum exordium et initium salutis, quod in vocatione consistit, ut Concilium Tridentinum in sessione 6 declaravit. De qua vocatione alibi dixit idem Augustinus neminem posse sibi tribuere quod vocatus sit, lib. 83 Quæstionum, quæstione 68, et sæpe alias. Ex quo ulterius pergit, et dicit ratione hujus initii, dati modo congruo et tempore opportuno, posse totum opus fidei et bonæ voluntatis tribui soli Deo, sicque intelligit, libr. Quæstionum ad Simplicianum, quæstion. 2, illud Pauli ad Rom. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,* id est, solius Dei miserentis, in hoc quod talem præparat vocationem. Per hoc autem nunquam excludit Augustinus liberam determinationem voluntatis necessariam ad voluntatem credendi seu consensum; hac enim ratione dicit utrumque nostrum esse, scilicet, et credere et operari.

Ex prædictis ergo verbis capitis secundi, ad summum haberi potest præfinire Deum actus liberos, quos se daturum vel facturum promittit, ac proinde habere Deum viam et modum quo possit efficaciter facere ut tales actus fiant ab homine, ac proinde dari posse a Deo gratiam efficacem, id est, quæ certissime et infallibiliter faciat hominem velle quod Deus vult. Quam gratiam in capite quinto ejusdem libri dicit talem esse, *ut discernat bonos a malis,* non formaliter, hoc enim ad liberum consensum, et justificantem gratiam pertinet; sed effective, tum moraliter excitando congruo modo, tum physice adjuvando. Et in capite sexto huic gratiæ specialiter tribuit, *quod per illam præparatur voluntas a Domino,* ita ut, quando ex duobus audientibus Evangelicam lectionem unus credit et alius non credit, discrimen inter illos constituat, *quod uni præparatur voluntas a Domino, et alteri non præparatur.* Quod quidem intelligi potest vel de præparatione immanente, quæ ad prædestinationem pertinet, ut notavit D. Thomas, prima parte, quæstione vigesima tertia, articulo secundo et tertio, de qua dixit Augustinus, *quod est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Hoc enim modo præparatur a Domino voluntas credentis, non vero non credentis. Vel intelligi potest de præparatione transeunte (juxta modum loquendi divi Thomæ supra), id est, de dispositione prævia, in intellectu vel

voluntate hominis recepta, qua præparatur ut velit credere, et sic quidem etiam contingit voluntatem hominis non credentis præparari per veram gratiam internam, alias omnes rebelles gratiæ, et qui Spiritui Sancto resistunt, nullam recipere internam gratiam, quod erroneum est, ut in superiore capite dixi. Præparatur ergo etiam illorum voluntas a Domino, non tamen efficaciter, sed tantum sufficienter, illa nimirum præparatione quæ dat potestatem, ut dixit Augustinus primo Retractionum, capit. vigesimo primo. Cum ergo in alio loco dicit præparari voluntatem ejus qui credit, et non ejus qui non credit, loquitur quasi per antonomasiam de præparatione efficaci, ut etiam clare constat ex discursu illius, capit. sexto, septimo et octavo. Unde cum vox ipsa *præparationis* prævenientem gratiam manifeste indicet, constat, secundum Augustinum in hoc loco, dari prædestinatis specialem gratiam prævenientem, per quam datur illis non solum ut possint, sed etiam ut faciant. Nunquam vero Augustinus hanc efficaciam exposuit per determinationem voluntatis, sed totam tribuit vocationi congruæ. Et ideo consequenter in eodem libro, c. 16, distinguit duplicem vocationem, alteram communem, alteram specialem, quam appellat *certam eorum qui secundum propositum vocati sunt,* quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui. Et infra ponderans verbum Apostoli: *Non ex operibus, sed ex vocante: Dixit: Sed ex vocante, non quacumque vocatione,* sed qua vocatione fit credens, et infra: *Prævenit eum misericordia Dei, quia sic vocatus est ut credat.* Semper itaque efficaciam hanc tribuit tali vocationi. Unde concludit c. 17: *Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant;* id est, vocationem, per quam fit in electis id ad quod electi sunt, id est, fides et sanctitas, ad quam electi sunt, non propter quam electi sunt, juxta illud: *Elegit nos ut essemus sancti et immaculati.* Ostensum est autem in superioribus omnem et totam vocationem consistere in actibus excitantis gratiæ, et per illos non determinari physice voluntatem, ac proinde efficaciam vocationis, de qua Augustinus loquitur, quatenus est gratiæ prævenientis ut sic, non consistere in physica actione, sed in morali tractione, et, ut ita dicam, sollicitatione cordis per internam, et formalem illuminationem et affectionem; quatenus vero transit in adjuvantem gratiam, habere etiam adjunctam physicam

efficientiam, non præviã, sed simultaneã cum libero arbitrio, nec prædeterminativã ejus, sed cooperativã cum ipso.

Igitur ex concertatione Augustini cum Semipelagianis in hoc puncto de initio gratiæ aut fidei, nihil habemus quod prædeterminationi physicæ faveat, et habemus multa in quibus satis expresse indicat sententiã de vocatione congrua, et de modo efficacitatis ejus, quem nos declaravimus. Aliud vero punctum est quod nonnullum potest scrupulum ingerere; nam, præter supradictos errores, notant prædicti Patres, Prosper et Hilarius, in Semipelagianis, quod nolebant negotium discretionis et electionis inter homines reducere ad solam divinã voluntatem, sed ad diversa hominum merita: *Nam rejicitur* (aiebant) *contemptor, eligitur obediens. Nec ad incertum divinæ voluntatis* (ait de Semipelagianis Hilarius) *deduci se volunt, ubi eis, quantum putant ad obtinendam vel amittendam gratiam, evidens est quaecumque initium voluntatis.* Quam sententiã Pelagianorum etiam quoad hanc partem graviter damnat Augustinus in prædictis libris de Prædestinatione Sanctorum, tanquam repugnantem sacræ Scripturæ, præsertim libro primo, capite undecimo, et libro de Dono perseverantiæ, a capite duodecimo. At vero si nulla est efficacia physice præveniẽs ac determinans liberum arbitrium, sed ad determinationem semper expectatur usus ejusdem liberi arbitrii, necessarium videtur ut in hoc puncto cum Semipelagianis conveniamus, quia dicimus, ex se sufficienter, et frequentissime æqualiter homines vocari, hunc vero consentire, et non illum pro sua libertate; ergo ad hunc usum necessario reducenda est discretio, ut volebant isti, et non tantum ad divinã voluntatem, ut volebat Augustinus.

Respondeo in hoc dogmate Semipelagianorum tria errata seu falsa notari posse, quamvis non omnia habeant eãdem censuram erroris. Primum est discerni justos ab injustis, electos a non electis, primordialiter (ut sic dicam) et radicaliter, ex aliquo bono usu solius liberi arbitrii, id est, mere naturali et per vires naturæ elicito. Secundus error est, ubi deest hic usus, ut in homine morte prævento, et ideo non potest in illum ut re vera factum discretio revocari, fieri propter bonum usum, quem Deus præscivit habiturum hominem, si viveret, vel si ad discretionis annos perveniret. In quo dupliciter errabant Semipelagiani, et quia loquebantur

de usu per solas vires liberi arbitrii, et quia putabant puniri vel præmiari a Deo actus nunquam futuros, solum quia præsciuntur futuri sub illa conditione, si homo viveret, vel alia simili. Et contra hos duos errores principaliter dirigit totã suã disputationem Augustinus, et si considerentur omnia quæ in Concilio Arausicano secundo definiuntur, et quæ in Epistola prima Cœlestini Papæ, vel proxime post illam, de hac materia et contra Semipelagianos traduntur, omnia tendunt ad illorum errorum detestationem.

Tertia vero propositio in illo dogmate contenta, est discretionem electorum a non electis, justis ab injusto, fidelis ab infideli, nullo modo et in nullo genere reducendam esse ad solam Dei voluntatem, sed adjungendam etiam esse voluntatem hominis. In qua propositione Semipelagiani eodem errore laborabant, quia ita nolebant ultimã resolutionem hujus negotii facere in solam Dei voluntatem, ut tamen eã facerent in solam humanã, in quo valde errabant, totã gratiam subjicientes libero arbitrio. Possent autem, ut aliquibus visum est, sufficienter impugnari quoad posteriorem partem, admissa prima, quæ nihil ob stare videtur quominus gratia nunquam detur ex meritis, nisi fundatis in priori gratia, ac proinde prima gratia seu initium salutis detur sine meritis. Quod solum voluit tueri Augustinus in illis locis, in quibus prædestinationis veritatem tam constanter defendit, ut dicat, stante illo vero dogmate et præscientia Dei, nullo modo posse prædestinationem negari, quia ex illo dogmate necessario inferitur omnia media quibus homo salvatur esse beneficia gratiæ Dei, quæ non potuerunt non esse præscita a Deo, si aliquando dantur; et consequenter non possunt non esse prædestinata. Ita colligit Augustinus de Dono persever., capit. decimo quarto, definiens prædestinationem esse præscientiam et præparationem beneficiorum Dei, etc.

Hinc ergo non defuerunt Catholici, longe a Semipelagianis in aliis dissentientes, qui nihilominus dixerint non esse necessarium reducere in solam Dei voluntatem discretionem inter omnes illos qui salvantur et non salvantur, qui credunt et non credunt, etc., sed adjungendam sæpe esse humanã voluntatem, non quidem ut operantem solis viribus liberi arbitrii ea quæ ad salutem pertinent, sed ut cooperantem adjutorio Dei, et ut bene utentem prævenientibus auxiliis; neque etiam ut principalem causam justitiæ aut bonitatis,

quæ ad salutem æternã pertineat, nam hanc principalem causam fatentur esse gratiam Dei; et hanc putant esse sufficientem rationem ob quam totum hoc negotium Deo simpliciter tribuatur. Nam hoc etiam satis est ad eum finem, propter quem dicit Augustinus, dicto capite decimo quarto de Dono perseverantiæ, prædicandum esse prædestinationem, scilicet, *ut qui obediẽter vivit, non de sua obedientia, tanquam de suo non accepto bono extollatur.* Nam etiamsi homo cooperatur gratiæ, ut discernatur ab injusto, non propterea habebit unde extolli possit tanquam de non accepto. Denique statim capite decimo sexto ejusdem libri: *Prædestinatio* (inquit) *sic prædicanda est, quemadmodum sacra Scriptura eã evidenter loquitur, ut in prædestinatis sine penitentia sint dona et vocatio Dei.* At Scriptura sacra nihil aliud evidenter loquitur, nisi per prædestinationem gratis præparari hominibus omnia beneficia, quibus æternã salutem consequuntur, eãque infallibiliter consequi, quos Deus præscivit bene usuros fuisse auxiliis; quod totum subsistere potest, etiamsi ultima resolutio discretionis salvandorum a non salvandis, non fiat in solam Dei voluntatem, etiam ex parte prædestinatorum.

Qui ergo ita opinantur, vere non consentiunt Semipelagianis, neque loquuntur in rigore contra gratiam Dei, quam Scriptura expresse commendat et Concilia definiunt. Nam Cœlestinus Papa, in prædicta epistola, capite tertio, præmittit se adjungere quasdam sententiã Apostolicas, ex quibus totã doctrina de gratia, quæ certa et Catholica sit, pendet, ita ut nulla contradictionis cum Catholicis supersit ratio, si in illis sit consensio, utique quantum ad certã et indubitã doctrinã. Et ideo post omnes illas sententiã, in capite decimo tertio subjungit: *Profundiores vero difficiliioresque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt; ut prorsus non opinetur Catholicus, quod apparuerit prædictis sententiis esse contrarium.* Illa autem assertio, quod necessarium non sit omnium salvandorum electionem in solum beneplacitum divinæ voluntatis ultimã resolvere, non est contrarium

sententiis ibi traditis a Cœlestino, nec directe, nec indirecte; ergo nec est contrarium divinæ gratiæ. Quod in Angelis recte explicatur, in quibus etiam esset erronea doctrina Semipelagianorum quoad initium fidei vel salutis ex libero arbitrio, et quoad discretionem bonorum a malis ex naturali bono usu liberi arbitrii, et nihilominus multi Catholici sentiunt esse non solum probabile, sed etiam verum et fundatum in doctrina Augustini, discretionem bonorum non factã per solum beneplacitum Dei antecedens eorum cooperationem, sed concurrente simul bono usu prævenientium auxiliorum per liberum arbitrium ipsorum Angelorum, eãdem gratia adjutorum. Ita ergo opinari de hominibus, vel omnibus, vel aliquibus salvandis, non pertinet ad errorem Semipelagianorum.

Nihilominus Augustinus, dum sese Semipelagianis opponit, in aliud extremum manifeste inclinã, docetque discretionem hominum salvandorum a non salvandis, et credentium a non credentibus, habere primã radicem et originem in sola voluntate et misericordia Dei, et hac ratione intelligit dictum esse a Paulo: *Quis enim te discernit, et: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserationis.* Non enim dixit Paulus: Non est volentis sua virtute, vel, absque auxilio gratiæ, sed simpliciter: Non est volentis. Et in hoc putat Augustinus maxime commendari gratiam Dei circa eos qui salvantur et bene operantur. Et ad hanc gratiam explicandã, consideravit Deum ex certa præscientia præparasse quibusdam hominibus auxilia congrua et profutura, aliis vero non præparasse. Et hanc præparationem ait esse ex sola misericordia et gratia, nec posse habere fundamentum in voluntate hominis, non solum operante suis viribus, ut dicebant Semipelagiani, verum etiam neque ut cooperante auxilio Dei, quia, ut cooperetur, debet præveniri auxilio congruo, quod procedit ex solo beneplacito ac proposito Dei, quo decrevit ut homo esset sanctus, pœnitens, credens, vel quid simile. Hæc est mens Augustini dicto libro de Prædestinatione Sanctorum, præsertim a capite decimo quinto ad decimum octavum, et libro de Dono perseverantiæ, capite octavo, decimo tertio, et sequentibus; estque verissima sententiã, ut latius videbimus alibi, tractando de causa prædestinationis.